

CAP. VII. DEUM REPERIRI NEQUE VI CORPORIS, NEQUE ANIMAE.

Quid ergo amo, cum Deum meum amo? Quis est ille super caput animae meae? Per ipsam animam meam adscendam ad illum. Transibo vim meam, qua haereo corpori, et vitaliter compagem ejus repleo. Non ea vi reperio Deum meum; nam reperiret et equus et mulus, quibus non est intellectus, quia est eadem vis, qua vivunt etiam eorum corpora. Est alia vis non solum qua vivifico, sed etiam qua sensifico carnem meam, quam mihi fabricavit Dominus, jubens oculo, ut non audiat, et auri ut non videat, sed illi, per quem videam, huic, per quam audiam; et propria singillatim caeteris sensibus sedibus suis et officiis suis, quae diversa per eos ago, unus ego animus. Transibo et istam vim meam, nam et hanc habet equus et mulus; sentiunt enim etiam ipsi per corpus.

CAP. VIII. DE NATURA ET ADMIRANDA VI MEMORIAE.

Transibo ergo et istam vim naturae meae, gradibus ascendens ad eum, qui fecit me cum ea; et venio in campos et lata praetoria memoriae, ubi sunt thesauri innumerabilium imaginum de hujuscemodi rebus sensis invectarum. Ibi reconditum est, quod quid etiam cogitamus, vel augendo vel minuendo, vel utcumque variando ea, quae sensus attigerit; et si quid aliud commendatum, et repositum est, quod nondum absorbit et sepelivit oblivio. Ibi quando sum, posco, ut proferatur quidquid volo; et quaedam statim prodeunt; quaedam requiruntur diutius, et tamquam de abstrusioribus quibusdam receptaculis eruuntur; quaedam catervatim se proruunt, et dum aliud petitur et quaeritur, prosiliunt in medium, quasi dicentia: ne forte nos sumus? Et abigo ea manu cordis a facie recordationis meae, donec enubiletur quod volo, atque in conspectum prodeat ex abditis. Alia faciliter, atque imperturbata serie, sicut poscuntur, subge-